

daret studiosis liberalis ingenuaeque doctrinae. Ac profecto, gloriam, quae e Graecis Latinisque litteris effloruisset, solam altas egisse radices semper et propagatam esse, omnis docet testaturque consensus memoriae.

Sed ut hanc in sententiam spero facile neque invite discessurum esse sapientissimum quemque: ita haud scio an multi futuri sint, qui acriter pugnent pertinaciterque contendant, Camerarium nullo modo ponendum esse in numero eximiorum Theologorum. Neque enim ignoratis, Auditores, reperiri non paucos, qui versentur in eo opinionis errore, ut maxime ridiculo, sic longe perniciosissimo, ut credant, profanas litteras esse eo longius arcendas defendendasque a sacrarum litterarum mysteriis, quo maior habeatur naturae earum et ingenii dissimilitudo ac diuersitas, ut copulari inter se et coniugari neutiquam possint, et qui ab humilitate et obscuritate Grammatices profecti sint, eorum mentibus, fieri nullo pacto posse, ut capiatur satis fulgor et dignitas Theologiae. Quorum quidem hominum miserabiles procacesque voces arbitror facillime posse ita convinci et refutari, ut temeritas eorum et stultitia eo redigatur, ut Camerarium non magis Grammaticum perfectum, quam excellentem Theologum, fuisse concedant. Reperio autem Camerarium floruisse non solum insigni scientia earum rerum, quae Theologiam vel gignant vel ornent, sed ea etiam morum castitate et vitae integritate eundem praeditum scio fuisse, quae digna videretur singulari illa scientiae rerum diuinarum excellentia. Neque enim muneris nomen et dignitas, sed scientiae praestantia et innocentia,